Si quis vero auferre vel laedere unquam studiose voluerit, nostra legali
Jussione compositurum sit centum Libras auri optimi, medietatem Ecclesiae
Vulturnensi et medietatem Camerae nostrae. Praeterea Imago nostri Bullae
hac carta semper habeatur in teste. Data 4° Idus Junii anno Christi
propitio quarto Imperii Domini Pipini Piissimi Augusti Inditione
Xa Actum in comitatu Aprutiense in Dei nomine feliciter. RXSPL
Signa Pipini Serenissimi Imperatoris. Arichis quoque Longobardorum
Princeps contulit eidem Venerabili Abbati Autperto per rogum Radohin
Monachi eiusdem Coenobii praeceptum confirmationis de vico qui dicitur
ad Sanctum Jammarum in Territorio Capuano, cuius est huiusmodi
textus.

In Nomine Domini Dei et Salvatoris Nostri Jesu Christi dominus
Vir Gloriosissimus Arichis Summus Dux gentis Longobardorum
In Monasterio B. S. Vincentii qualiter vobis Autperto Reverendissimo
Abbati, et quod suggessit Clementiae nostrae Radohin Monachus
ipsius Sancti Coenobii qualiter firmaremus in eodem Sancto et Venerabili
Loco condomas ipsas, quas quondam Arnichis filius Radghis pro
mercede animae ~~nostrae~~ suae ibique contradiderat per cartulas suas,
qui cum manere videntur intra terrae finibus Capuanae. Nostra
quippe potestas considerans Dei omnipotentis misericordiam, et animae
nostrae mercedem, quam et ipsius Radohin obaudientes postulationem: Ideoque
per hoc nostrum roboratum praeceptum firmavimus in possessionem Jure fati
Monasterii Beati Vincentii, quam et ad vestrum servientibus ipsas condomas
nomine Ronciolus, tamsimile cum suos germanos et Nepotes, cum nuribus,
noras, filios et filias simul et Merulo, quam et Justo consobrinos Ronciolis
cum suas uxores, filias et filios, hic dictis cum omnibus pertinentiis
suis, qui habitabant in vico, qui dicitur ad Sanctum Jammarum, id est cum
casas, intrinsecus, vineas, territoriis, campis, silvis, paludibus,
omnia, et in omnibus mobilia et immobilia, seseque moventibus,
quantoque ipsi supradicti ad manum Arichis dederunt. In ea vult
ratione, ut amodo et deinceps per hoc nostrum firmissimum praeceptum
secundum textum cartulae quam Arichis exinde emisit in praefato Monasterio,
subiaceant omnes res ipsas, et a nullo de nostris iudicibus, id est Comitibus
Castaldeis, vel quisquam agentibus habeant aliquam requisitionem, aut
molestationem, sed perpetuis temporibus securas et quietas, Abbates
ipsius Monasterii valeant possidere praenominatas condomas,
cum omnia eorum pertinentia. Quod vero praeceptum firmitatis ex Jussione
Suprascripti Domini Nostri Arichis vigesimo primo anno principatus eius
Scripsi ego Benenatus Notarius. Actum Beneventi in Palatio mense Maio
Inditione prima.

In hoc

BIBL. NAT. PARIS 704 Lat.5917 Fol.71v
SERVICE PHOTOGRAPHIQUE